

Clamoremq; ferunt gratantum ad sidera venti:
Et quem Saxo iacit plausu, vicinaq; linguis
Mysidos ora fauens, nec cedens Marchia votis:
Et quem Tyrigetes cum Franco consonus edunt,
Cumq; Charitinis sociata voce Cherusci;
Et lecti proceres, Germana robora pubis.
Certat Anhaltina studijs gens impigra terra,
Hinc trabeatus eques, hinc provida cura senatus
Advigilans, feruent hymeneia ad gaudia ciues:
Nec sua Dessavium capit intramœnia vulgus
Spectantum, latus angustat turba plateas,
Et foras plebeio teritur pratexta tumultu,
Et permixta stola cyclas spatiosa laborat.

At domus urbe nitens summa, quam leniter undis
Milda suis lambens hyberno stringit ab ortu,
Tectum augustum, ingens, regali splendida gaza
Instruitur: fulgent pictis ornata tapetis
Atria, candet ebur solijs, auroq; renident
Pocula, mensæ auro splendent, tedam imbuit aurum.
Hic aula in medio diua geniale locatur
Accubitum, struiturq; torus, quem sindone velat
Baccata toral, & prædiuite byssus amictu,
Intextos longo signans patrum ordine vultus,